



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**SANCTI|| IOANNIS|| DAMASCENI OPERA,||**

**Johannes <Damascenus>**

**Parisiis, 1577**

Ad D. Iacobvm Billivm, S. Michaelis In Eremo Cœnobiarcham, Mecœnatem  
Svvm Ioannis Chatardi Epigramma.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71880](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71880)

12

A D D. IACOBVM BILLIVM, S. MICHAELIS IN  
EREMO COENOBIARCHAM, MECOENATEM SVVM  
ornatiff. & Græcorum Patrum doctiff. & fideliff. interpretem,  
IOANNIS CHATARDI Epigramma.

FERTVR in authores pergrata ciconia vita,  
Exhaustos senio dum videt esse graui.  
Hos alit, hos refouet, pennisque attollit in altum.  
Digna viris pietas, quam pia monstrat auis.  
Hæc tua sed maior, quam Græcos edis in illos,  
Æthereo qui te progenuere patri.  
Languentes namque ipse foues, fractosque senecta:  
Inq̄, altum mira sedulitate leuas.  
Nam facis vt toto nunc iam spatientur in orbe,  
Ac velut alati docta per ora volent.  
Mutuus hic honor est, quem grata mente rependis  
His, animæ per quos est data vita tuæ.  
Nam qui te Graiũm linguam docuere, vicissim  
Legibus hos nostris fundere verba doces.  
Ecce Damascenus Latio sermone disertus,  
Qui poterat fari vix idioma suum.  
Integer & sanus prodit, qui languidus antè,  
Atque sui magna parte sepultus erat.  
Hæc tua in antiquos pietas, hæc cura, laborque,  
Quem lætus Christi propter ouile subis.

D EXTRA Damasceno, quæ quondam scissa, Leonis  
Procurante dolo, suppositæque manu:  
Christiparæ auxilio sic reddita sana precanti,  
Atque aptata suo, secta erat vnde, loco:  
Scriberet vt posthac citius, meliusq̄, magisq̄,  
Vnum qui in triplici numine numen habet.  
Post, temerata manu peregrina, atque altera, cultu  
Non bene se Graijs equiparante modis,  
Visa queri, amisso, quo splenduit antè, nitore,  
Atque optare aliam sub noua damna manum.  
Billius, vt Graio, Latio quoque non minus ore,  
Quam vita, atque fide, & religione nitens,  
Expolit, & renouat, suppressæque lumine donat:  
Summam addit, post quam nulla petenda, manum.

Claudius Roilletius Belnensis.